

Tantum abest, ut in iudicio Dei peccatis nostris opponatur. Ideo Paulus inquit: „Vt inueniar in eo non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est, Christi, quae ex Deo est iustitia per [81:] fidem“¹⁷ etc. Rom. X et alibi inquit: „Ignorantes iustitiam Dei et suam quaerentes statuere iustitiae Dei non sunt subiecti.“¹⁸ In hunc modum concurrunt iustitia seu 5 meritum Christi et iustitia, quam liber inhaerentem vocat, ut se inuicem ferre non possint. Cum enim liber testetur Christum esse iustitiam nostram ex loco Pauli 1. Cor. I,¹⁹ non intelliget inchoatiam et partialem aliquam iustitiam, sed perfectam et sufficientem, sicut et liber affirmat, cum inquit: „In Christo Iesu omnia nobis sunt firmissima, solidissima et perfectissima.“²⁰ Quod cum 10 sit verissimum, non debemus dubitare, quin etiam perfectissime nos iustificet, ut non sit opus ad nostri iustificationem charitate nostra nec alia iustitia siue inhaerenti siue quocunque alio nomine vocari possit. Quare minus recte positum est, quod liber addit in fine huius loci: „Quatenus charitas ad fidem et spem accedit, eatenus per iustitiam inhaerentem vere iustificamur“²¹ et 15 statim in principio sequentis loci: „Charitas, quae est finis praecepti, et plenitudo legis simul ac iustificationem ingreditur foecunda est.“²² Imo charitas nostra fidei fructus est et moderatrix bonorum operum non in justificandis, sed in iam vere iustificatis per fidem in mediatorem Christum. Quare nos neque per charitatem nostram iustificamur coram Deo neque nostra charitas 20 ingreditur iustificationem, sed sequitur ex fide in iam iustificatis [82:] per charitatem Dei diffusam in cordibus nostris per iustitiam, quae est in Christo Jesu domino nostro, et per fidem, quae charitatem Dei Patris et iustitiam Filii Dei per vocale verbum euangelii Dei praedicatum apprehendit. Hinc iustificatio seu imputatio iustitiae, remissio peccatorum, condonatio culpae et poe- 25 nae, liberatio ab ira Dei, maledictione legis, morte et condemnatione aeterna, hinc vera et perfecta reconciliatio Dei et hominis credentis, hinc denique salus et vita aeterna siue et ante charitatem nostram siue et ante opera nostra, quae ut nunquam sunt sine fide et fiducia in Christum, ita nunquam cum fide et fiducia locum iustificationis ingrediuntur, nec apprehendunt misericordiam Dei nec merita et beneficia Christi, quibus iustificamur et saluamur, sed effectus tantum sunt fidei et iustificationis, non causa nec meritum. Sed liber Interim videtur quasi ex contemptu reiicere fidem in finem huius loci de iustificatione, quam tamen, cum sit correlatiuum misericordiae Dei, mox in principio loci coniungere pretioso sanguini et merito passionis Christi debuisset. 35 Nam ea per solam fidem nobis applicantur. Haec est doctrina prophetica et apostolica de iustificatione, quam, quia non docet liber Interim, sed destruit,

¹⁷ Phil 3,9.

¹⁸ Röm 10,3.

¹⁹ Vgl. I Kor 1,30.

²⁰ Augsburger Interim IV, 47.

²¹ Augsburger Interim VI, 51.

²² Augsburger Interim VII, 53.